Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Schmuckinitialen

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

etiam ad reliqua evangelia pervenire, ut numerum quem sines videbis appositos per singulos numeros atque eos in suis partibus ex locis similia dixisse reperies. Explicit prologus.

Sciendum etiam ne quis ignarus ex similitudine numerorum errore involvatur, quod sicut in hac notatione canonum distinctorum, in canone quolibet tres evangeliste bis vel ter vel quater aut etiam amplius eundem numerum per ordinem habuerunt adnotatum, itaque tamen e contrario discrepantes, quod id quod tres illi in eo loco semel dixerunt, quartus totiens in corpore voluminis sui ponat, quotiens diversis numeris in eodem canone positus est secundum predictorum numerorum continuatas similitudines. Item secundum unumquemlibet eorum aut etiam duobus unde in canone numerus bis vel ter aut eo amplius reperiatur in ordine collocatus et dispar is inveniatur, in certis dubium non erit quod id quod illius illorum ut canones numeris bis ter repertum ab his in volumine semel dictum sit; alium vero totiens uno atque eodem sensu loquentem quotiens protulerunt numerorum adnotatione distantia. Hoc et in omni nonae canonum collatione servabitur; ceterum in decimo quoniam propria singulorum tantum continentur, non potest in eo comparatio esse quod solum est. Explicit Prologus.

Matheus sicut in ordine primus ponitur evangelium in Iudea primus scripsit. Cuius vocatio ad Deum ex publicanis actibus fuit, duorum patrum in generatione Christi principia presumens, unius cuius prima circumcisio carnis, alterius cuius secundum cor electio fuit, et ex utrisque in patribus Christus sit. Sicque quaternario numero triformiter posito principium a credendi fide in electionis tempus porrigens, et ex electione usque in transmigrationis diem dirigens atque a transmigratione usque ad Christum definiens, decursam adventus Domini ostendit generationem, ut et numero satisfaciens et tempori, et se quod esset ostenderet, et Dei opus in se demonstrans, etiam in his quorum genus posuit Christi operantis a principio testimonium non negaret. Quarum omnium rerum tempus, ordo, numerus, dispositio vel ratio, quod fidei necessarium est, Deus Christus est. Qui factus ex muliere, factus sub lege, natus ex virgine, passus in carne, omnia in cruce fixit, ut triumphans ea in semetipso resurgens in corpore et patris nomen in patribus filio et filii nomen patri restitueret in filiis, sine principio et sine fine, ostendens unum se cum patre esse, quia unus est. In quo evangelio utile est desiderantibus Deum sic prima vel media vel perfecta cognoscere, ut et vocationem apostoli et opus evangelii et dilectionem Dei in carne nascentis per universa legentes intelligant, atque id in eo in quo apprehensi sunt et apprehendere expetunt recognoscant. Nobis enim hoc in studio argumenti fuit et fidem facti tradere et operantis Dei intelligenda diligenter esse dispositione querentibus non tacere.

Explicit prologus. Incipit evangelium secundum Matheum.

Liber generationis Ihesu Christi filii David filii Abraham. Abraham genuit Ysaac. Ysaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam et fratres eius. Iudas autem genuit Phares et Zara de Thamar. Phares autem genuit Esrom. Esrom autem genuit Aram. Aram autem

explicit prologus incipit evangelium secundum matheum